



**EXIMI-//VM PLANEQVE DIVI-//NVM OPVS  
INCOMPARABILIS// Theologi Dionysij, professione  
Car//thusiani, in quo opere contine[n]tur// quinque  
humanae uitae specu//la**

**Dionysius <der Kartäuser>**

**Coloniae, 1540**

De falsa gloria mundi potentia & dignitate ac caducis eius diuitijs  
contemnendis. Cap. V.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55481](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55481)

bitantur. Iusti uero dum breuitatem uitæ suæ confi-  
 derant, elationis & immunditiæ culpas declinant. De  
 breuitate præsentis uitæ dicit Iacob<sup>9</sup> in canonica sua: Iacob. 4.  
 Quid est uita nostra nisi uapor ad modicum parens,  
 & deinceps exterminabitur. Augustinus: Vita hominis  
 uita breuis est ab infantia usq; ad senectutem decrepi-  
 tam. Adam si adhuc uiueret & hodie moreretur, quid  
 illi uitæ longitudo profuisset. Idem: Quicquid tempo-  
 ris uiuitur de spatio uiuendi demitur, ut omnino ni-  
 hil aliud sit tempus presens quam cursus ad mortem.  
 In quo nemo stare paululum uel tardius ire permitti-  
 tur, sed urgentur omnes pari motu singulis diebus fa-  
 cere unam diætã ad corporis mortem. Seneca: Quoti-  
 die morimur, quia quotidie demitur aliqua pars uite  
 nostræ. Ecce dilectissime si bene te inspexeris, & uer-  
 ba iam libri scripta & etiam postea scribenda cordis  
 auribus diligenter perceperis, potius debes dicere: Va-  
 tio mori credens per longum uiuere tempus. Forte dũ  
 es hæc est ultima, uado mori. Tu autem æstimas diu  
 uiuere, & hæc temporalia bona & mundana gaudia  
 annis multis in delicijs possidere. Sed charissime nõ sic.  
 Homo enim, ut ait Iob, uanitati similis factus est, dies  
 eius sicut umbra prætereunt.

*De falsa gloria mundi potentia & dignitate ac  
 caducis eius diuitijs contemnendis.*

*Cap. V.*

**V**bi sunt principes gentium, & qui dominantur  
 super bestias quæ sunt in terra, & qui in aui-  
 bus celi ludunt, & argentũ thesaurizant & aurũ  
in

## SPECVLVM

in quo confidunt homines & non est finis acquisitionis eorum, qui argentū fabricant & solliciti sunt, nec est inuentio operum illorum, exterminati enim sunt & ad inferos descenderunt & alij in locum ipsorum surrexerunt, scribitur Baruch tertio cap. Hæc uerba pertractans Prosper in sententijs suis sic ait. Vbi sunt modo insuperabiles oratores, ubi qui conuenientius festa disponebat, & ubi equorū splendidi nutritores, ubi exercituum duces, ubi satrapæ & tyranni? Nonne omnes puluis & fauillæ? Nonne in paucis uersibus est eorum memoria uitæ? Respice sepulchra eorū, & uide quis seruus, quis dominus, quis diues, quis pauper, discerne si potes uinctū a rege, fortem a debili, et pulchrum a deformi. Sciendum quoq; est, quod humana gloria ex quacunq; re sit causata, propter quatuor rationes ab omnibus est fugienda. Primo, quia uilissima ex sua cōditiōe, secundo quia uanissima siue quia fragilissima in duratione, tertio quia falsissima in promissione, quarto quia malignissima in retributione. Dico primo, quod mundana gloria ideo est nobis fugienda quia uilissima, & hoc de natura sua. Vnde scribitur primo Machabæor. 2. Gloria eius stercus & uermis, hodie extollitur & cras non inuenietur. Quid in rebus stercore de testabilius, quid in animalib; uermis uilius? Ergo si temporalis gloria hominis stercus & uermis consistit, non est hominibus appetenda sed fugienda. Est namq; mundi gloria putrido ligno similia, de quo philosophus docet, & ex ipsa experientia patet quod de nocte lucet, sed putridū apparet in die. Quid enim est hominē uana gloria putridū de nocte lucem habere, nisi hoc presenti tempore quod nocti umbrosæ est simile gloriosus incedere, & luminosus infirmis oculis apparere, qui non possunt nisi secundū

**Gloria mūdana fugienda.**

ea quæ foris sunt iudicare. Sed quando dies iudicij ad uenerit, in quo illuminabit dominas abscondita tenebrarū, & manifestabit consilia cordium, tunc qui modo apparent & uident gloriosi, apparebunt putridi & uilissimi, & penitus non curandi. Item tales mūdi potentes sunt lucipetę similes, quæ uolando in nocte luces, & in die latet ac tota nigra apparet. O si hæc attēderent q̄ in caducis suis diuitijs gloriantur, quicq̄ quædam fœtide carnis post modicum in cinerem reuersure, nobilitate potentia extollunt & dignitate, & alios contemnendo deprimunt, quō in futuro uilissimi nigri & putridi apparebunt, puto q̄ modo detestaretur cordialiter gloriam mundi huius tēporalem, hoc scientes q̄ impossibile est ut dicit Hieronymus, ut homo in cælo & in terra appareat gloriosus. Dixi secūdo, q̄ gloria mundana est nobis fugienda, quia est fragilissima, nec est ulla stabilitate firmata. Sic nanque est defectiua, ut quælibet uaporosa uel fumosa substantia. Fumus enim quanto plus in altum se erigit, tanto plus definit donec euanescat: Flos magni odoris & ad tempus mirabilis uenustatis ad modicum actum solis urentis arefcit, & omnis gloria eius perit. Sic mūdi gloria. Vnde dicit Isaias: Ois caro fœnū, & ois gloria eius quasi flos fœni. Exaruit fœnū & flos eius decidit, & omnis gloria eius deperijt. Amatores igitur tēporalis glorię, similes sunt fœno tectorū, quod priusq̄ euelatur exaruit. Vnde Ecclesiast. 10. Omnis potentatus uita breuis, rex est hodie & cras moritur. Nā ubi nūc est gloria Assueri regis, qui super centū prouincias imperauit. Vbi gloria illius maximi Alexandri, in cuius conspectu omnis terra siluit, primo Machabæorum primo: Vbi nunc gloria totius Romani imperij, quod ad modum ferri omnia regna mūdi perdomuit? Vbi

Isai. 406

Q. sunt

SPECVLVM

sunt principes mundi, & qui dominantur super bestias. Nonne omnes tanquam hospites unius diei & peregrini uelocissimi transierunt? Vere sic. Nam unus ex eis non remansit. Quia in uanitate defecerunt dies eorum, & anni eorum cum festinatione. Nam communi more mors nulli parcat honori. Mors fera mors nequam, mors nulli parcat, & æquam. Dat cunctis legem, recipit cum paupere regem. Tertio mundana gloria ideo nobis est fugienda, quia falsissima nulli seruans promissa, sed omnes homines fallens in uia. Quem enim imperatorum, quem principum non decepit? Longam enim & honorabilem uitam pacificam & securam potentiam suis promittit, cum unum momentum temporis uitæ addere non possit. Quis in temporali gloria Alexandro similis, qui nullum bellum unquam perdidit, sed cum paucis multitudinem sæpe uicit? Nullam ciuitatem obsedit quam non cepit, nullam unquam prouinciam inuasit quam non suæ ditioni submitterit, & tamen quando omnia se subiugasse credidit & pacifice uitam ducere sperauit, tunc in momento ueneno deperit. Quid ergo hanc mundi gloriam sequeris, qua in morte iuari non poteris? Vnde Petrus Belesii in quadam epistola: Gloria mundi fallax & seductoria, suos decipit amatores. Quicquid enim uel in futuro promittit uel in presenti intendit, totum ad nihilum deuenit, tanquam aqua decurrens. Et ideo quod breuiter durat, quis prudens querere curat? Quarto mundana gloria ideo est nobis fugienda & contemnenda quia malignissima in retributione, quia non perducit ad gloriam, sed ad penam & confusionem sempiternam. Vnde Osee 3. Gloriam in ignominiam commutabo, uelidelicet in morte, quando gloria transibit in summam ignominiam seu confusionem sempiternam.

plerumque. Potentiam in impotentiam, sapientiam in  
 stultitiam, & omnes delectationes in maximam pœ-  
 nam. Nam & iuxta mensuram culpæ, erit & mensura  
 pœnæ. Nam contra animam quæ se ad mundanas vo-  
 luptates effundit, dominus grauius excandescit sui  
 iudicij executoribus dicens: Quantum exultauit se in  
 delictis, tantum date ei tormentum & luctus. Non est  
 igitur dilectissime affectanda neque amanda mundi  
 gloria, quæ constat ex prædictis esse uilissima, fragilis  
 seductoria & maligna. Si uero ex his quæ iam scripta  
 sunt, non moueris ad mundi gloriam cõtemnendum,  
 audi qualiter gloriosus Hieronymus alloquitur ipsos  
 temporalis gloriæ amatores, ita dicens: Væ uæ uobis,  
 qui ad cælorum regna diuitiarum itinere festinatis,  
 quoniam facilius est transire camelum per foramen  
 acus, quàm diuitem intrare regnum cælorum. Non  
 mea sunt uerba hec, sed Christi. Si hæc reuocabilis est  
 sententia, Christus omnino non est deus. Cælum, in-  
 quit idem, & terra transibunt, uerba autem mea nõ  
 transibunt. Ululate o uos miseri uento instabilis for-  
 tunæ mobiles & potentes qui alios cõfunditis & tan-  
 quam ignobiles conculcatis, quia huius mundi uania-  
 tatibus honorumq; & falsarum dignitatũ fumo ex-  
 cæcati, cum uestræ uitæ breuissimæ tela morte uelut  
 à texente forte hac nocte succidetur, in inferno sine  
 interminabili præ aliis cruciabitur continuo mori-  
 endo uiuentes. In laboribus hominum in mundo nõ  
 estis, imo non solum cum hominibus labores non ser-  
 tis, sed & laborantes uiuere non permittitis. Idcirco  
 non cum hominibus, sed cum diabolis flagellamini.  
 Quanto enim in mundo maior fuerit gloria & læ-  
 titia, tanto maior erit in inferno præparata pœna.  
 Sed quid dicam? duodecim fatemur CHRISTVM

Q ii apo-

SPECVLVM

apostolos elegisse, quorum unus omnium solus Bartholomæus carnis origine fuit nobilis, & Matthæus diuitijs, antequam apostolatam reciperet, infestabat. Cæteri uero erant pauperrimi piscatores. Cur hæc retuli audiatis. Si Christus uerax est, & si omnia quæ ex eius ore audiui mendacia non sunt, huiusmodi hominū uix unus aptus regno reperietur de mille. Qui uero eorum mihi non credunt, post modicum temporis in tormentis positi sentient. Sed forte quis ueritatis lumine cæcus iam mirabitur. Ad quem ego si hoc me interroget, responderem: Nonne unico credimus dānari hominē mortali peccato. Sed si hoc inquiet ita est, uix unus de centum milibus saluabitur. Sed quid diues & mortalis famæ aura pastus aliud est, quàm quoddam omnium peccatorum uas putridum? Ubi superbia, ubi auaritia, ubi luxuria, nōne in diuitibus nobilibus & potentibus? Nonne & latrones sunt qui & pauperum mercedem uiolenter deprædantur, & eos deprimunt atq; necant. Quid ex ubertate domus domini faciunt, qui ut pauperibus necessaria ordinaret, receperunt: Certe superfluitatem uestimentorum, superfluitate nimia addūt, de pauperibus frigore & nuditate morientibus non curantes. Palacia & ædificia magna erigunt, ut humanis oculis contemplantur, & pauperes in plateis moriuntur incommodis. Conuiuia præparāt & nō frequenter diuitibus, ut ferculis delicatissimis suam uentris replant ingluuiem, quibus pauperes fame pereunt. Quid aliud est eorum uita, quàm peccata? Si uenter repletus est tanta ciborum copia, nonne ad fores adest luxuria? Quid ergo amplius loquar cū omnium mortaliū lingua deficeret, ut quæ peccatorū facerent intimaret. Nec deum nisi somnando cognoscunt, nec se (ut puto) morituros arbitrantur. Non

Psal. 35.

Non enim facile in peccata labitur, qui se moriturū cogitat, & deū sibi fore iudicē nō ignorat. Vere nimis est imbecillis & miser cui horū est memoria, si cuncta diabolica tentamenta non facile uilipēdit. Idcirco uere dicam: Si deum suum iudicē agnoscerēt, & si se morti crederent, non peccarent saltem tam secure. Cur hī miserimi ad ecclesias properant? Ut diuinis intersint mysterijs, an ut contemplantur mulierum uultus? Hec sua est meditatio, hęc prædicatio & dei cognitio. Sic diuinam percunctantur legem ut pecunias terram & mare peragrantes, crebris uigilijs & meditationibus sibi & filijs suis diuitias cōgregent. Certatim uestimenta sua in societate mira artificij uarietate frequenter mutant, quoniam ut ludos, hastiludia, choreas, procautiones, ebrietates, magna conuiuia, delicata fercula suis alternatim exhibeant sodalibus, mulieres ad suam uoluptatem explendam sufficienter habeant. Sed uae miseri quid facitis non agnoscitis, corpus ante tempus destruitis, & animā interficitis. Vnde infirmitates & mors tam intempestiua, nisi ex nimia ciborum copia & frequēti mulierum usu? Deum laudare creditis, certe deluditis uosmetipsos. Pro corpore obliuiscimini animam, & ecce corpus simul cū anima destruitis ante tempus. Et ideo gaudete, iucundamini, & lætamini in hoc tam breuissimo temporis spacio quod habetis, ut post modum cum diabolo sine fine temporis lugeatis. Quod facitis ne differatis frequētissime uestimenta permutetis, ne forte uestra dispareat nobilitas, nec sint qui uos excedant, ut in inferno uerecundiam recipiatis & confusionem. Vbi conuiuia, ubi delicata fercula, ubi uina preciosa melle mixta & aromatibus, sperate epulemini & inebriemini. Non enim post mortem amplius facietis, sed cū diuite qui quotidie splen-

Luc. 16

Q iij dide

SPECVLVM

Matthæ. 25.

vide epulabatur in tormentis geennalibus guttam  
 aquæ minima peroptabitis nec habere poteritis. Agi-  
 te solacia, uestras in luxurijs explete uoluptates. Semi-  
 nate in corruptione ut de corruptione colligatis diui-  
 nam sententiã, quã iustus ille dabit iudex in magno  
 iudicij die dicens: Ite maledicti in igne æternum, qui  
 paratus est diabolo & angelis eius. Heu cor lapideum,  
 qui cū talem tibi cogitas ob huius mundi parua sola-  
 cia imminere sententiã, non formidas. Si illum ex-  
 pectas diem tam terribilem & crudelem, in quo non  
 solum de luxurijs, uestibus, ebrietatibus & comessatio-  
 nibus, & de toto tempore amisso quo uixisti, sed etiã  
 oportebit te de qualibet locutione & cogitatione ua-  
 na dño reddere rationem, cur non emēdaris? Cur mo-  
 raris miser de die in diem cōuerti ad dñm? Cur te ma-  
 lorū iam non pœnitet? Ecce mors properat ut te cōre-  
 rat die noctuq; currēs. Ecce diabolus iam se p̄parat, ut  
 te recipiat. Ecce diuitiæ tuæ tibi deficient. Ecce uer-  
 mes corpus quod tanta enutris diligentia expectant,  
 ut illud rodant quousq; iterū coniunctum animæ cum  
 illa pariter pœnas habeat infinitas. Quid errando per  
 huius seculi inuia in uanitatib⁹ petis solacia? diuitias  
 gloriam, & cætera tibi placita non inuenies hic, quia  
 hic non sunt. Sed si uera quæris gaudia, ad illam cele-  
 stem gloriam propera, ad quam factus es. Ibi certe il-  
 la uera sunt gaudia, quæ oculus nō uidit, nec auris au-  
 diuit nec in cor hominis ascendit. Dimitte quæso, ca-  
 eluca & momentanea, ut habere ualeas æterna & ppe-  
 tua. Sed qd de his qui nec dei timore nec amore, nec  
 mortis, nec tormentorū subsequentiũ terrore a pec-  
 catis cessant, sed dolent si ut optant praua agere non  
 possint, dicā? Væ uē miseri q̄ hic ridetis, quia plange-  
 tis. Væ qui ista gaudia spalia optatis, quia uobis inu-  
 tis

tis sustinebitis tormēta infernalīa. Ecce modicū uobis  
 restat tēporis. Implete mēsuras malitiarū uestrarū, ut  
 ueniat super uos oīs diuina indignatio. Fruamini hoc  
 paruo tpe in iocis & ebrietatibus, plijs & contentioni-  
 bus, choreis & procationibus, nec uacuū praterire tē-  
 pus permittatis. Quid moramini dum uiuitis congre-  
 gare filijs uestris honores, diuitias & potentias, uestrā  
 augete nobilitatem & famā, & ut uestri possint filij q̄  
 fecistis explere, quatin⁹ cū illis pariter in inferno am-  
 pliora patiamini tormenta. Sed forte quis dicet: Beni-  
 gnus est deus & misericors, qui oēm peccatorem ad se  
 redeuntem recipit & indulget. Verū quidem hoc esse  
 fateor. Benignior est dñs q̄ creditur, & unicuiq; par-  
 cet ad se ut concedet redeunti. Nonne benignus est do-  
 minus, qui tantas tolerat iniurias à pctōribus dans eis  
 tps spatiū ut emendent. Sed hoc noueritis, quia sicut  
 benignus est tolerando, ita iustus est puniendo. Sed qs  
 iterū dicet, q̄ uir qui toto tpe quo uixit malefecit, in  
 mortis articulo accepta pœnitentia à deo ueniā obtri-  
 nebit. Heu q̄ uana suspicatio & falsa meditatio. Vix de-  
 cent ī milibus hoīm quorū semp mala fuit uita, mere-  
 bitur indulgentiā habere unus. Vir totus in pctis geni-  
 tus & enutritus, qui nec deū uidit nec agnouit, nec de  
 eo audire uoluit, nec se peccasse cognoscit, nec qd pœ-  
 nitentia sit nisi forte dormiendo nouit, totus adhuc se-  
 cularibus innodatus negocijs, quē angustia premit fi-  
 liorum quos deserit, quem infirmitas conterit, dolor  
 diuitiarum & temporalium bonorum concutit cum  
 eis non posse frui amplius se cernit, q̄ acceptam deo  
 accipit pœnitentiam, quam non acciperet si adhuc se  
 posse sanari crederet. Certe concludam. Qui dum sa-  
 nus est & iuuenis deum offendere non formidat, in  
 morte non merebitur diuinam indulgentiam. Quæ

Q uij nancq

## SPECVLVM

nanq; est pœnitentia, quam quis accipit, quia se uiue-  
 re amplius non posse cernit. Qui si ex infirmitate con-  
 ualesceret, peior quàm prius fieret. Scio non modicos  
 pecuniosorum in mortis articulo accepta pœnitentia  
 conualuisse corpore & peiorasse uitam. Hoc teneo,  
 hoc uerum puto, hoc multiplici experientia didici,  
 quod ei non est bonus finis cui mala fuit semper uita.  
 Qui peccare non timuit, sed mundi uanitatibus sem-  
 per uixit. Hæc omnia Hieronymus: Pro his omnibus  
 dilectissime mihi si recte sapis, si tecum lumen oculo-  
 rum est, contemne & relinque hæc omnia, scilicet ca-  
 ducas mundi diuitias & falsam eius gloriam propter  
 eum qui est super omnia. Quid enim prodest homini  
 si uniuersum mundum lucretur, animæ uero suæ de-  
 trimentum patiatur? Scitote omnem honorem huius  
 seculi impedimentum esse graue & quoddam perem-  
 ptorium salutis æternæ. Quem enim legimus à secula-  
 ribus diuitiis ad æternas delicias demigrasse? O quam  
 fallax & uana est gloria quàm homines abinuicē pe-  
 tunt & accipiunt, & gloriam quæ à solo deo est non  
 quærunt. Homo si alijs uult præferri, nonne collega il-  
 lius est qui dixit: Ponom sedem meam ad aquilonem,  
 & similis ero altissimo. Sed cuius ascendit cathedram  
 eiusdem timeat præcipitium & ruinam. Augustinus:  
 O quam felix, quam beatus est, qui solo æternitatis  
 desiderio inardescit, quia nec prosperitate attollitur  
 nec aduersitate quassatur, & dum nihil habet in mun-  
 do quod diligat, nihil est in mūdo quod pertimescat.  
 Gloria huius mundi nihil aliud est, quam quædam  
 uana aurium inflatio. O ergo quantum excæcatus es,  
 si huius mūdi gloriam quæris. Nam ut Anselmus ait:  
 Non potes esse in honore sine labore, in prælatione sine  
 tribulatione, in sublimitate sine uanitate. Vnde cha-  
 rissime

rissime si prudenter periculum tuum, quod de temporali mundi honore incurris, aduerteres, proculdubio animum tuam a seculi uanitatibus cohiberes.

*De morte semper & ubiq; timenda & expectanda.*

## CAP. VI.

**M**EMOR esto, quoniam mors non tardat, scribitur Ecclesiast. decimo quarto. Quam multa bona cōferat homini mortis memoria, in multis sacrae scripturae loci declaratur. Vnde ecclesi. dicit: Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Vbi beatus Bernardus ita ait: Summa felicitas est meditatio mortis assidua. Hanc ubicunq; homo perrexerit, secum portet, & in æternū non peccabit. Item Augu. Nihil sic reuocata peccatis sicut frequens meditatio mortis. Hæc est enim quæ facit hominem se humiliare, omnia contemnere, & poenitentiam aggredi, siue acceptare. Hieronymus. Facile contemnit omnia, qui semper cogitat se moriturum. Nam concupiscentia oculorum contemnitur, quando aliquis cogitat se tam breuiter omnia relicturum. Concupiscentia carnis despicitur, dum quis considerat quod corpus suū proprium quasi in instanti erit cibus uermium. Superbia uitæ spernitur, dū quis hoc corde ponderat quod ille qui uult modo esse super alios, ponetur in terra subtus pedes omnium. Vtinam attendere omnes reges & principes & diuitijs abundantes in hoc mundo, quomodo a tam amplis palacijs sunt deferendi ad sepulchrum tam strictum, & e palacijs tam luminosis & fulgidis ad sepulchrum tam horridum & obscurum. Et a palacijs floridis & pictis imaginibus adornatis ad sepulchrum tam foetidum, & a palacijs sic tebus omnibus superplenis, ad sepulchrum tam in-

Ecclesi. 7

Bernard.

August.

Hieron.

Q v na